N. Inv. 4206.

1882. III. 90

30 cent

ORDINA

TIONES DE CAR-
pentariis, Muratoribus
ac Lapicidis.

ORDINATIONES ET CONSTITVTIONES, QVOMODO CARPENTARII et Muratores ac Lapicidae Cracovien. Casimirien. & Clepardien. in suis aedificiorum laboribus ac alijs eorum artis rebus sese gerere debeant. Anno Domini M. D. LIIII. aeditae.

Magnificus Dñs. Dominus Ioannes Ociesko, Regni Poloniae Cancellarius, Capitaneus, Succamerarius et Burgrabius Cracovien, Sandecen, ac Olstinen. Capitaneus nomine et ex commissione S. M. R. Domini nostri clementissimi, una cum Magnifico domino Ioanne Boner de Balice Castellano Chelmensi, magno procuratori Arcis Craccovien. ac Scepusien. Rapstinenq; Capitaneo. Simul etiam cum Dominis Consulibus Craccovien, atq; tam Casimirien. q̄ Clepardien Consulatu ad id accersito. Sic exigente temporis conditione et Reipublicae necessitate,

ad evitandum et avertendum plurima detrimenta, quae ab infrascriptorum artificum privatis institutis, in universos redundant, has de muratoribus et lapicidis atq; carpentarijs ordinationes et constitutiones, publicae utilitati accommodatas, pro omnium bono instauratas, in praetorio Craccovień. feria sexta post festum Assumptionis S. Mariae. Anno 1554 denuo fecerunt et sanxerunt, ad hunc qui sequitur modum.

¶ Inprimis constitutum est quod quicunque huius artis Carpentariae vel Muratoriae vult effici magister, is cum alijs magistris se dominis Consulibus praesentare debet, et Ius Civile suscipiat et artem suam coram magistris senioribus ostendat. Qua approbata cum eorum assensu et voluntate in Magistrum suscipi et ad labores ad-

mitti debet.

¶ Caeterum nemo ex Carpentariis vel Muratoribus seu lapicidis ob consequendum magisterij gradum solvat et contribuat magistris seu fraternitati plus peccuniae, quam duos florenos monetae polonicae ad communem fraternitatis cistulam pro comparandis armis, et pro alijs eiusdem fraternitatis necessitatibus reponendos et asservandos. Remoto etiam omni circa magisterii susceptionem convivio et compotatione. Alioquin si secus factum fuerit, tum et is novitius Magister, qui vel maiorem peccuniam conferret, vel convivium ullum instrueret, tum et ipsi magistri, qui vel maiorem reciperent peccuniam, vel sympositum ullum sibi parari permitterent, mulcta 5 marcarum, ex utraque parte puniri debebunt.

¶ Item propter querimonias vicinorum

quibus saepe consulare officium impulsatur adimendas. Statutum est, quod nullus Carpentarius vel Murator aedificium novum iniciare audeat, nisi prius gades, limites, et termini aedificii construendi per consulatum aut a consulatu deputatos conspiciantur et dimettiantur et signanter in structuris versus plateas se extendentibus, ut sunt ambitus, pinacula, tecta, cellaria et eorum introitus nec talia versus plateam aedificentur sine scitu Consulatus, contrarium facientes per Consulatum graviter puniendi.

¶ Item si aliquis civium aedificare volens cum Carpentario, aut Muratore vel Lapicida de labore concordare non posset, talis civis alium magistrum ad eundem laborem suscipere poterit sine prioris magistri cum

quo concordiam facere non potuit contradictione.

¶ Item statutum est, quod nullus magistrorum sive Carpentariorum, sive Muratorum, sive Lapicidarum plures quam unum suscipiat labores, quia per hoc se a laboribus absentabant divisim labores suscipientes. Et per hoc damna gravia cives incurrebant, unico itaque labore circa unum bonum virum assumpto quisque magistrorum debet esse contentus. Quo tandem finito et consumato alium suscipere poterit et non aliter.

¶ Item statutum est, quod quilibet magistrorum sive Carpentariorum sive Muratorum ac Lapicidarum a labore septimanae integrae, habeat 30 grossos, videlicet quinque grossos quolibet die, et hoc tempore aestivali, a festo Paschae usque ad Michaelis. Et tandem

tempore hyemali, hoc est, a festo S. Michaelis usque ad Paschae a quolibet die quatuor grossos. Et quilibet magistrorum solus manualiter laborem exerceat. Et si qua die non laboraverit, cum diem sibi solvere nemo tenebitur.

¶ Item quod quilibet Magister cum sociis et laboratoribus suis, mane quamprimum dies illuserit ad laborem venire debet, et usque ad horam lentaculi (alias do śniadanney godziny) consuetam laborans non nisi per mediam horam comedat et quiescat. Et deinde in meridie unam horam integram et non plus, ibidem circa laborem comedat et quiescat. Et tandem hora vesperorum seu merende iterum mediam horam teneat. Tempore vero hyemali incipiendo a festo Crucis in Autumno, usque ad

festum Paschae nullum tempus meren-de, alias inzynowania habere debent, super quas horas ipse magister super-intendere debet, horologium parvum ex arena habendo. Et sic tota die diligenter laborando non nisi una ho-ra ante occasum solis una cum suis laboratoribus ac sociis a labore disce-dat.

¶ Item statutum est, quod nullus ma-gistrorum aut sociorum accipiat ac vendat hastulas, truncos, resectiones trabium, aut lignorum aliorum sine voluntate domini aedificantis, sub gra-vibus poenis, attamen ne diripiantur hastulae aut asportentur, propinam aliquam aedificans pro aliqua conso-latione laborantium si videbitur tribu-ere poterit.

¶. Item ex quo magistris et sociis prae-cium diurnale et septimanale est prae-

fixum et deputatum in quo ipsi debent esse contenti. Extunc statutum est, quod nullus magistrorum vel sociorum audeat postulare ac accipere solutionem aliquam pro diebus festivis in septimana occurrentibus, sub poena quinque marcarum. Et si quispiam ex dominis aedificantibus eadem festa socijs vel magistris solvere promiserit, et realiter solvere vel solvisse deprehensus fuerit, etiam poena quinque marcarum puniri debet.

¶ Item statutum est, quod si aliquis civium de aedificio in toto vel in parte murando vel construendo cum aliquo magistrorum convenire vel concordiam facere vellet de integro, alias, ogulem, vel ad laborem diurnum ex precio diurno dando. Tunc hoc stare

debet in arbitrio ipsius civis aut aedificantis, quomodo id facere vellet; et pactum tale sive intentum Carpentarius sive Murator sive Lapicida ab eo suscipere debet absque contradictione.

¶ Item quilibet Magister more solito habere debet omnia instrumenta sua ad labores apta suis sumptibus comparata, ad quae dominus aedificans vel civis nihil habere debet.

¶ Item si aliquis civium vel dominorum aliquem Magistrum extraneum, Carpentarium vel Muratorem, sive Lapicidam magistralem vel excellentem pro aedificio suo faciendo vocare et in civitatem inducere vellet. Tunc hoc facere poterit cum scitu et assensu Consulatus pro

illo edificio tantum consumando et finiendo, et poterit sibi dare salarium maius vel minus quam nostris Magistris prout secum concordavit. Qui tandem Magister extraneus si alios labores in civitate suscipere vellet, cum Civitatis artificij eiusdem magistris fraternitatem suscipere debet et huic ordinationi subiacere.

DE SOCIIS EORVM.

¶ Item socij utriusque artis, tam Muratoriae, quam carpentariae hoc modo teneri et gubernari debent.

¶ Inprimis nemo ex Carpentarijs vel Muratoribus seu Lapicidis, ob suscipiendum et ineundum socii gradum, solvat et contribuat Magistris seu fraternitati plus pecuniae quam 12 grossos, ad communem fraternitatis custod-

lam pro comparandis armis et pro alijs eiusdem fraternitatis necessitatibus reponendos et asservandos, remoto etiam omni circa socij susceptionem et delectionem convivio et compotatione. Alioquin si secus factum fuerit, tum et is novitius socius, qui vel maiorem peccuniam conferret, vel convivium ullum instrueret, tum et Magistri, qui vel maiorem recipe-rent peccuniam, vel sympositum ullum sibi parari permitterent, mulcta 3 marcarum ex utraque parte puniri debebunt.

¶ Item si aliquis Magistrorum socium apud se tenuerit per hyemem tunc talis socius apud eundem Magistrum continuare debet in labore usque ad festum sancti Ioannis Bapti-

stae adminus, vel ad mediam aestatem. Et si ab eodem magistro ante hoc tempus discedere vellet, tunc nullus Magistrorum ipsum suscipere, aut sibi laborem apud se favere debet sub poena per Consulatum irroganda.

¶ Item quilibet Magistrorum artis Muratoriae debet et poterit servare quatuor discipulos alias uczni. Qui discipuli artificium suum per quatuor annos discere debent, quibus statuta est merces diurna pro labore ipsorum. Nempe primo anno per duos grossos. Secundo anno per duos cum medio grossos. Tercio et quarto annis per 3. grossos illis solvetur, et hoc tempore aestatis, a festo Paschae incipiendo usque ad festum sancti Michaelis. Deinde tempore hyemis pri-

mo et secundo annis per unum cum medio grossum. Tercio et quarto annis per duos grossos illis solvetur qualibet die laboriosa.

¶ Similiter etiam socij Muratorum tres grossos tempore aestatis. Et tempore hyemis per duos grossos accipere debent, sed socii lapicidarum a labore unius diei tempore aestatis per tres grossos. Tempore vero hyemis ut praemissum est per duos grossos accipere debent, nisi fuerint valde magistrales ac excellentes, quibus precium eorum septimanale aliquantulum posset meliorari.

¶ Item statutum est, quod socii Carpentariorum signanter laborantes bipenni, alias thoporem pro labore unius diei tres grossos accipere debent, tempore aestatis a festo videlicet Pas-

chae usque ad Michaelis. Et tandem a festo Michaelis usque ad Paschae per duos grossos accipiant. Socij autem simplici securi laborantes, tempore Estivo per duos cum medio grossos. Tempore vero hyemali per decem quadrantes accipere debent.

¶ Item statutum est, ut post elapsum tempus quatuor annorum, cum discipuli muratorum artem perdidicerint, a magistris suis liberi pronunciari debent. Non tenebuntur discipuli ceteris magistris et socijs convivium facere prout antea consueverant cum illorum dispendio non mediocri, sed magister suus vocatis ad se senioribus aliquot artis illius, talem coram eis liberum dicet et notare faciet in actis eorum. Et nil amplius propterea illis praestare exhibere dareque tenebitur, quam sex grossos ad communem fraternitatis

cistulam, pro comparandis armis et pro aliis eiusdem fraternitatis necessitatibus reponendos et asservandos.

¶ Item nullus Magistrorum nec Carpentariorum nec Muratorum audeat socios seu laboratores alterius magistri alienare, aut quovismodo abducere sub poena per Magistros seniores invenienda.

¶ Item si quispiam sociorum a Magistro suo sine licentia discesserit et Magistro suo in aliquo obligaretur, hunc nullus Magistrorum suscipere audeat usque ad completam satisfactionem Magistro faciendam et nihilominus ipse socius per Magistros corripiatur pro arbitrio eorum.

¶ Item socium insolentem et rebellem, vel labores sponte negligentem, Magi-

stri eorum Consulatui ad praetorium praesentare debent, qui pro arbitrio Consulatus et pro modo excessus et culpa puniri debet.

¶ Item statutum est ut deinceps omnes Magistri ac socii Carpentariorum, Muratorum sive Lapicidarum, non vigesima secunda hora quam sibi eligebant, sed vigesima tercia in duabus septimanis ad balneum descendant et intrent, alias hora consueta quando a labore cessatur. Qua hora labore finito unusquisque balneari poterit, etiam quolibet die feriali.

¶ Item constitutum est quod quotienscunque contingat civem aliquem aut ius civile habentem indigere uno aut duobus sociis carpentariorum ad labores aliquos, qui intra unius septimanae decursum confici possunt, tum ipsi

Magistri denegare non debent civibus unum aut duos socios eiusmodi labores confecturos. Verum Magistris ab huiusmodi labore nihil prorsus dari nisi sociis debita merces persolvi debebit.

¶ Item ex quo fuit antiqua consuetudo et per praedecessores Consules tenta, ut cum ignis in civitate (quod Deus avertat) oriebatur, tunc Magistri Carpentarii et eorum socii ac famuli solebant cum instrumentis eorum quam cellerime ad ignem currere. Extunc etiam statutum est et firmiter tenendum, ut ipsi carpentarii in tali casu incendii exorti, statim cum sociis et famulis suis ad ignem cum instrumentis suis currant, et properent, et pro posse suo defendant ignemque extinguant, quibus Consules pro tunc existentes propi-

nam gratiosam pro eorum fatiga et diligentia largiri curabunt. Quicunque autem his ordinationibus et constitutionibus modo emanatis ausu temerario contravenire praesumpserit, talis sive Magister sive socius fuerit, nec labores aliquos suscipere, nec mansionem in Civitate habere debebit. –

II